4

MISCELLANEA.

1/ Maniecki Franciszek,Emeriti honores B.Joanni Francisco Regis, Zamość 1720,Typis Universitatis,-K nlb.21.-E_{XXII}Str.114.-

2/ /Koryciński Franciszek,Fasces mortis,Kraków 1696,in officina Francisci Cezary.-K nlb.6.-E_{XX}Str.110.-

3/ /Koryciński Franciszek,Starża JWPP.Korycińskich,Kraków 1696, ~~in officina~~w druk.Franciszka Cezarego.-K nlb.8.-E_{XX}Str.110.-

4/ /Potocki Józef/,Corona unionibus animorum,Lwów 1736,Coll.Soc. Jesu.-K nlb.16.-

5/ /Potocki Józef/,Pilawa...,Lwów 1736,w druk.Coll.Soc.Jesu.K nlb.11.-

6/ Kobielski Franciszek Antoni,Rosa avitum Poraitarum decus,Lwów 1740,Typis Confraternitatis SSS.Trinitatis.-K nlb.24.-E_{XIX}St.349.-

7/ Skarbek Krzysztof,Pignus obaerati amoris,/B.m.dr./1726.-E_{XXVIII} Str.129.-K nlb.11.-

ROSA

Avitũ PORAITARUM Decus
Stēmaticus Domûs KOBIELSCIANÆ FLOS,
TRIREGNORUM, INFULARUM, & PURPURARUM ORNAMENTUM.
Odorem immortalis famæ. Fragrantiam Magni Nominis,
Suavitatem Meritorum,
IN ECCLESIAM REGES & REGNA

SPIRANS

PENES TRIUMPHALEM ASCENSUM à PRÆSULEO CAMENECI STALLO Ad PONTIFICIAM LUCEORIÆ CATHEDRAM
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI
&
REVERENDISSIMI DOMINI

D. FRANCISCI ANTONII

In Dmenin & Kobiele

KOBIELSKI

EPISCOPI LVCEORIENSIS & BRESTENSIS
Plaudentium Solenni ingressui, publico sensu

OBSERVATA

A devinctissimo verò tanto Nomini SCHOLARUM PIARUM *Diœcesano Interānensi Collegio obsequioso cultu.*

ADORATA

Anno Domini 1740. Mense Iunio.

LEOPOLI.
Typis Confraternitatis SSS. TRINITATIS *Cum Priv. Sac.* R. *M.*

In Stemma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
KOBIELSCIORUM

ROSA flos odorq; Divum,
Decus illa gratiarum,
ROSA hominum voluptas.
Anacreon.



I.

Flos Procerum. Regniq; Decor, Cultusq; Tiaræ
Inter tot Violas hæc ROSA Sola sacras.

II.

Spem Patriæ, Diuisq; fidem, virtutibus umbram,
Veprete, flore parit KOBIELIANA DOMUS.

III.

Floret honor, fortuna salit, capit æther odorem,
Murice, Torque, Pedo fructificante ROSA.

ILLUSTRISSIME
ac
REVERENDISSIME
ANTISTES

Diu intra nos deliberavimus, quid tandem ad ſolennem ingreſſum Præſuli, Protectori noſtro offerremus. Luſtravimus in theſauro eruditionis opes, quæcunq; eſſe poterant, & nihil placuit derivandùm, quod Tibi pretioſiſſimo virtute, Sapientiâ, honore, Animi dotibus Pontifici, ex illo promeremus. Aurum facundiæ plumbum eſt Tuo in conſpectu, gemmæ conceptuum ſibi illachrymantur, quia Tuo pontificio añullo indignæ reputantur, argentea lucubrationum folia Tuo pallent in obtutu. Sola enim reminiſcentia, quod Regũ Panegyriſtes olim fueris, infra


Tuæ

Tuæ majeſtatem ſvadæ deijcit, quid quid à quoquam æſtimari poteſt auguſtum. Concluſimus itaq; apud nos, ſpretis omnibus, quæ ſunt extra Te pretioſa, Teipſum Tibi in conteſtationem noſtri obſequij dedicare, quia inæſtimabile Domûs Avitæ clenodium ROSAM, aureo honorum rore enutritam. Spinas hæc nullas habet, niſi quas hoſtes horreant, folia quot in ſe explicat, tot Avita Domûs Tuæ decora, odorem quem ſpirat ſvaviſſimus eſt, univerſo. Suſcipe illam proinde ut Tuam, minimosq; maximi Nominis Tui cultores, illo quo ſemper fove affectu, protege gratiâ, cum ſtemmatico Domûs Tuæ flore perpetuum ver vitæ celebraturus.

quod precatur.

ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ.

Devinctiſſimum
Collegium Interamnenſe
Scholarum Piarum,



RVbore, neceſſe eſt ſuffundatur Hortenſiana quantumvis ſvada; pallentes, expedit in ſtuporem obrigeſcant, etſi diſertiſsimæ Oratorum paginæ; dum Tui Aviti decoris ROSÆ veniunt in conſpectum *PRÆSUL ILLUSTRISSIME.* Quid verò pumila, ante Tuum Pontificio honore magnum, meritis longe majus, publicâ famâ & æſtimatione maximum Nomen, ſit actura Panegyris? unde Tuarum ſumat exordia laudum, qualiter cæptis progrediatur in encomijs, quomodo deſtinatum ſuis intentis perveniat ad epilogum? planè dubia; non ſufficientem ſtringens calamum obſtupeſcit? Quocunq; enim ſuam torquet pupillam Orator, ubiq; advertit in tanto Sangvinis & purpurarum Oceano, periculoſum ſibi imminere naufragium. Hinc Vaticana *URSINORUM*

triregna, Cardinalitiæ *PORAITARUM* trabeæ, triumphales Primatum & Vice-Regum Cruces, sublimes Antiſtitum Tiaræ; illinc Palatina laticlavia, Curules, Cancellariorum gemmæ, & publica Regni Miniſteria, Tuum ad ſolennem ingreſsum circumſtipantia, latus, agminatim terrent reſolutiſsimum licet Panegyriſten, ne audeat tenui calamo tantam amplitudinem, & immenſam ſummorum Nominum vaſtitatem menſurare. Aureum etiam Ariadnæ ſvadæ manu prehendat filum Theſeus Orator, ut Veſtrum Sanctiſsimi in Summis Pontificibus, Eminentiſſimi in CARDINALIBUS, *CELSISSIMI* in ARCHIPRÆSULIBUS, *ILLUSTRISSIMI* in *SENATORIBUS* PORAITÆ curioſiore obtutu perluſtret ROSETVM, & absq; omni controverſia in illo, velut in altero Labyrintho aberrabit. Ipſa Nominis Tui majoribus maximi reminiſcentia ſenſum abripit, de encomiis illius cogitanti; Seraphicæ FRANCISCI flammæ excoctiſſima in gelidam formidinem proturbant capita, thaumaturga Antonij probitas Polo & ſolo notiſsima, ſi per improbum laborem vel tantillum tangeretur, pro grandi miraculo in toto, qua patet Orbe, haberetur. At quid ex tantis animi Tui qualitatibus per reſpectum ad alios inferendum? qui integro virtutum & meritorum, in Reges & Regna exercitu, Tuæ hodie triumphali aſsiſtunt pompæ, profectò immenſum Archipontum in exi-

guam

guam transfundere ſcrobem probaretur quisquis condigno verborum plauſu, Tuam, Tuorumq; Aboriginum immortalem famam celebrare attentaret. Sufficientes an habeat in ſe, prius exploret vires Orator Alcides, qui tantis ſideribus coruſcum Veſtri Nominis, portitore lacerto præſumit geſtare cælum. Vnus & ſolus *ROSEE PRÆSUL* flores dicendi extingvis, quid florentiſsima per Orbem, imperia & Regna Antenatorum facient decora? ſub Avita Tua ROSA lateant in ſilentio, eſt neceſſe. At non latebunt, proferentur ad publicam Solis Lechici faciē, ut deciduo in venerationem colantur poplite velut Numina, dum vocali lingvæ præconio, ut ſatis eſt, ad Pontificiæ in augurationis cathedram nequeunt promulgari. Inexpiabile facinus eſt, ibi velle taciturnum agere, ubi vel maximè expedit eſse facundum. Caſtigetur attentâ legentium cenſurà in Veſtrum delinquens Nomen indocilis ſvadæ cultus, peccare tamen non deſinet, ſatius eligit ad minus periculoſum deflectere extremum, quàm utrumq; deſperabundo animo declinare. Odore ſaltem Aviti Tui PORAY placet delectare ſenſum, quem fragrantìſsimè totam ſpiràs in Poloniam, imo exteras etiam, hoc regnum circumjacentes effundis in Nationes, ſi non in centifolia ingenij attactu explicare. Scarabæis duntaxat, qui adhuc in flore exiſtentes prædantur Patriæ fructus, inimica

Tua ROSA, ſed apes ſcholaſticas, quæ de Tuô vernantiſsimo Pæſto dulce meritorum & virtutum mel exſugant, non abhorret, Creſcet hinc majus Rhetoricis, quam olim Romanis fontibus decus & ornamentum, ubi Tuo purpureo ROSÆ gentilitiæ ſerto, non ſubterfugient coronari. Vtiq; ad Aras Numinum, (idem eſto judicium de magnis Nominibus,) non tantùm auro pretioſa, gemmis & ádamantibus rutila, argento, ſplendentia pendent numiſmata, ſed & plebeiæ offerentis populi ceræ appenduntur, non tamen inde debita æſtimatione & obſequioſo cultu privantur imagines, imo majus ſibi per acceptationem exiguorū qùantumvis donorum conciliant honoris incrementum. Nec Tuus ANTISTES *ILLUSTRISSIME* ita faſtuoſus eſt oculus, ut inter denſiſsima aſsiſtentium Tuo PRÆSVLEO Honori agmina, etiam minimæ Scholarum Piarum Religionis arceas, & dedigneris obſequia, imo, ſi purpurato illa, ut non condignè applaudentia digniſsimo honori, protruderes calcaneo, adhuc ultroneè, ad Pontificij ſaltem exoſculandi fimbriam pallij, ſeſe animarent, Sed quidquid eſt ex noſtro in Te affectu *PRÆSUL REVERENDISSIME*, Tua in omnes benevolentia, in ſingulos favor id vetat, imo nemo eſt, qui non palam glorietur, infimæ licet conditionis, quin à Te Paterno planè ſinu non ſtringatur. Et hæc eſt maxima magnorum vir-

tus

tus Nominum minimos etiam non faſtidire. Sic Rex planetarum Sol, non tantùm ſuperbas Dynaſtarum turres & palatia, benigno illuſtrat lumine, verùm & infrajacentem telluris glebam pari aſpectu dignatur. Vltra communem vulgi ſortem omnium ſano probatur judicio eminere, qui ad ſubjectam ſuæ poteſtati plebem ſeſe benevolè demittit. Tális ac tantus es ANTISTES Illustrissime, nihil Tibi cum cæteris commune niſi vita, quam publico quotidie victimas bono; niſi ſol, in cujus conſpectu meridianis rutilas virtutum ſplendoribus, niſi hæc infra Tuum pontificale pedum depreſſa tellus, quam venerando attactu pedum tumere quodammodo, & ſuperbire facis; ut extra aſsentationem de Te illud veriùs dicatur, quod de Perſeo, vano deluſa errore credidit antiquitas, quaſi quidquid tumido preſſerit calcaneo, eo loci ſtatim Regina Florum Roſa excrevit. Mitratum Caput Tuum Salomoneæ Sedes Sapientiæ; Pontificio rationali tectum pectus Tuum omnigenæ virtutis reclinatorium; majeſtuoſa facies Tua maximarum ad intra ſpeculum qualitatum, quam demiſsiore videre obtutu, idem eſt, ac quidquid illa in Te deſignat, invidere. In lingva Tua nectare dulcior dicendi copia & gratia, in fronte ſole ſerenior amænitas, in oculo nullus ſuperciliosſus notatur faſtus, ſed miræ ſvavitatis ſplendent Charites, manus Tuæ plenæ in omnes beneficiis. Vt vides lapſos fortunæ caſu, protinus

in pedes erigis, ut advertis inopes ad Tuos ingemiſcere lares, illico locupletatos non ſine ſolatio dimittis, ut inaudis de Tuo reſpectu benè meritos, ſtatim benevolo dexteræ nutu levas in honores; optimè ratus non aliter, quoscunq; ſtatus inſignibus florere Viris, quàm dum opimos fructus ſperant ſuorum & legunt rectegeſtorum. Solenne plerisq; impenſa obſequia, gemmis compenſare lachrymarum, Tua in ſingulos plusquam diſtributiva juſtitia, plumbeos etiam famulatus auro refundit. Et hinc eſt, quod nemo Tua feſtinus non volet ad imperia, necdum mandatoriam plena aure percipit vocem, & jam omnia ſtrenuè facta, quaſi ex codice enarrat. Prudentiam, quæ mentis Tuæ Auguſtale hereditario poſſedit jure, ſi ſpectemus? tanta eſt, ut etiam depontanos Senecas, & Romanos Catones confundere videatur. Profers aliquid præſentium ad catervam, Divino non abſimile oraculo eſſe cenſetur; agis quidpiam, Canon & regula eſt glorioſè acturis, cui per omnia conformentur. Immortales ſint ſuperis gratiæ, æterna *AUGUSTO* III. Regum Sereniſsimo animi gratitudo, quod Te talem Nobis providerit Antistitem, qui cum Proceribus majeſtuosè, cum æqualibus confidenter, cum minimis affabiliter, pro Eccleſia zelosè, pro ſtatu fortiter, pro libertate reſolutè negotia pertractares. Deſtinavit Te Augustissima Regnatoris Majestas Cameneci Sacrorum Principem, probavit Sedes Vaticana, imo laudibus extulit, ut in illo contra portam Othomanicam fortalitio, murus & grande præſidium eſſes Patriæ, & ſine dubio fuiſti, jam ſupplices pro noſtra vita, integritate & fortunis, ad cœlum levabas palmas, jam velut centoculus Argus è ſpecula, futuris providebas, obviabas. Cogitabat jam forſitan Machometicus miles lunata in Poloniam inferre ſigna, exacuato in necem chalybe ſcrutari

ri

ri viſcera Regni noſtri, ſuccifis expectatæ pacis oleis, fatales implantare cupreſſus, addenſare funera, flammis omnia involvere, niſi Tu ardentiſsimè ſuperos flagitaſſes, ne Polis, affini Poloniæ tantum malum permitterent áttentare. Decuit proinde, ut à Præſuleo Cameneci Stallo ad Pontificiam Luceoriæ Cathedram Regius Te promoveret & invitaret favor, expediit, ut in alium Honoris Zodiacum tranſlato ZAŁVSCII AGNO, Avitarum odore ROSARUM hanc Vrbem, hanc Diœceſim impleres. Quanta de Tuo adventu corda omnium inceſsit ſvavitas, quibus univerſi inundamur ſolatiis ſenſu percipimus, non tamen ut par eſt, mente comprehendimus, multò minus ore proloqui valemus. Nulla ætas, nullus ſexus eſt, qui Tibi certatim occurrere, Te ſalutare non ſatagat, exiſtimantes beatifica in terris frui poſſe viſione, ſi Tuo dulci aſpectu paſci mereantur. A fronte, à tergo, à lateribus, admirantes, alij venerantes, alij Pontificiam Tui vultûs majeſtatem circumſtant, corda etiam, non tantùm Cathedralem Baſilicam pandentes triumphaliter ingreſſuro. Ad Tuæ ILLUSTRISSIMUM præſentiæ ortum, lucem ſibi novam, eamq; meridiánam, diem auſpicatiſsimum oriri advertit Luceoria, illam Tuám intra anguſta mænia continendo amplitudinem, quam nec totus capit Orbis Polonus. In triumphales arcus obſequioſas Cives inclinant Cervices ſuo hodie Triumphatori, Clerus plaudit ſuo PRÆSULI, per Diœceſim ſparſi fidelium greges de tanto PASTORE gloriantur. Deprædicant ſibi ad invicem, & mutuò collatis ſeſe recreant diſcurſibus, quàm pius ſis in ſuperos, quam benevolus in ſubditos, quàm abſoluta omnigenæ perfectionis & ſanctimoniæ norma. Et hæc de Te omnes, hæc tantisper ſparſim, ſine ordine, ſine forma, devinctiſsimus Tuo Nomini ſtillatim profudit calamus, alibi plura profuſurus. Permittes

nunc ad oſcula pedum prolapſam panegyrim, Præſuleâq; impertitâ benedictione non nihil digredi ad Tuos inclytiſsimos Antenatos, è quorum purpurato Sangvinis Archipelago Gemma Antiſtitum prodiiſti.

Et hic grande celebratiſsimis quantumvis per Orbem elogiaſtis aſſurgit ingenii fatigium, quomodo Veſtri Cælo & terris cognati Nominis attingant faſtigium. In Empireo alii noſtri ſublunaris Orbis componunt negotia, alii hoc terraqueo Poloniæ liberando globo vires & merita impendunt. Exanimes alii, vivunt alii, omnes ad ſtuporem Orbis glorioſi. Nihil in hac Proſapia Aquilino etiam videre licet oculo, quod non ſummum, quod non plusquam Sereniſsimum. Summos ex hac Geneſi in Orbe Chriſtiano deſideramus adorare Pontifices? palam ſunt. Regibus pares geſtimus venerari Cardinales? prodeunt ad ſolem: Archi-Præsuleis ſignatos muricibus exambimus Primates primosq; Principes, veniunt in obtutum, Infulatos Præsules, Senatoriis ſublimatos Curulibus, & Regni Ministeriis celeberrimos exambimus proſpectare Viros? ſeſe ingerunt mirandi pariter & imitandi. Sed ne per communes ſenſus in immenſum divagetur penna, liceat rem propoſitam ex ordine in particulari remonſtrare. Itaq; hiſtoricò hoc magnum opus non Panegyriſtæ credimus ſtylo, aliàs gemmæ pro periodis legi, mare pro ſepia ſiccari, æternitas pro tempore impendi deberet, ſi annuatim, quis & quanta geſſerit, explicare conaremur. Quatuor hanc Summi Pontifices ex antiquiſsima *URSINORUM* in orbe ſtirpe aſtris conterminam reddiderunt Familiam, tanquam quatuor Chriſtiani mundi columnæ, quorum adminiculo, & firmis claregeſtorum humeris Polus & tellus ſecurè conquievit. Triginta hanc progeniem purpurarunt Cardinales. Boni Superi! quantus

tus ex una genesi Æcumenicæ Senatus Ecclesiæ, quam ampla Purpuratorum Patrum Series! Impari decadum numero super aureas, in rotam dispositas sederunt Curules, quia parem computum tantorum Nominum, vel nunquam habuit, vel non habebit Roma. * Primatialia tres Principes impleverunt, & simul Sancta effecerunt solia primus Divus *ADALBERTUS* Martyr, secundus ROSA *de Kurozwęki* nuncupatus, Tertius GAUDENTIUS omnes PORAITÆ, quorum alios quia Ecclesia Sanctorum inscripsit Catalogo, alios è Patrio Floris Stemmatici expresso Succo fastis perennantibus inaravit fama, atris liturare characteribus non audet prelum. *Quot verò Præsuleis eminuerunt faldisteriis, ad Comitia, ad publica gentis libranda negotia Regnatori assederunt lateri, calculare ut difficile, ita vix posśibile. Præit omnibus triumphaliter *ZIROSLAUS PORAIUS* Vratislaviensis Antistes, qui eo tempore floruit in vinea Domini Exercituum, quo *VLADISLAUS HERMANUS* aureum Regni gestabat pomum, meritus alias, ut publico vocis præconio Principum Ocellus diceretur. Quid porro de *GAUDENTIO* PORAIO sub *BOLESLAO* KRIVOUSTO Cracoviensi Antistite, *Cleri Idea* compellato? quid de *VERNERO* PORAIO sub *BOLESLAO* CRISPO Episcopo Plocensi, gloriosissimo pro fide & Ecclesia Martyre, in vita & post mortem miraculis inclytissimo? quid de *BOGUCHVALO* PORAIO sub eodem Monarcha Posnaniensi Episcopo, Divini honoris Propugnatore ardentissimo? quid de ZIROSLAO II. Vratislaviensi Præsule, admiranda suæ Diœcesis moderatione felicissimo? quid de *VINCENTIO* KADŁUBEK sub *Albo Lescone* Episcopo Cracoviensi, Triumphatore de hostibus Ecclesiæ & Patriæ celeberrimo? quid de *BOGU-*

C *Chvalo*

* *PORAITÆ* Primates Regni.

* Episcopi.

CHVALO PORAIO II. de *BOGVCHVALO* PORAIO III. sub *BOLESLAO PVDICO*, Posnaniensibus Episcopis? quid de *BVDZIANTA* CRACOVIENSI, *ZAVISSIO* VLADISLAVIENSI, *MATHIA* PRÆMISLIENSI *ANTISTIBUS*, aliisq; sexcentis dicendum? quorum dulci rectegestorum memoriâ exhilaramur in fastis, ex quibus plurimi non modo Pontificiis annulis, sed & signatoriis Supremorum CANCELLARIORUM gemmis, sibi ad immortalem famam, Familiæ ad perennem gloriam, Regibus & Regno ad prodigium effulserunt. Et hæc est Sacri SENATÙS facies VESTRA de FAMILIA PORAITÆ, liberet nunc Palatina * solia, Castellanas adorare curules, nisi aliò vectigalis calamus vocaretur. Sileo proinde ex Stirpe PORAITARVM, DOBIESLAVM, PORAITVM Lublinensem, IACOBVM Siradiensem, NICOLAVM Sandomiriensem PALATINOS; non commemoro Supremos DUCES EXERCITUUM, quorum relatis ex hoste triumphis hactenus gens Lechica inclarescit. * Non eventilo mortalitatis è favilla DOBIESLAVM Cracoviensem, CESLAVM Sandomiriensem, NICOLAVM Lublinensem, HIERONIMVM Siradiensem, IOANNEM VIELUNENSEM CASTELLANOS, quiescant post impensos Patriæ labores, memoriâ, æstimatione, factis immortales, sufficit tales fuisse in Regno Viros, quos etiam ipsæ coronæ ambiebant facere coronatos. Non ille solùm censetur throno fuisse dignus, qui eminuit, sed & qui meruit. * Consangvinitatis verò Arbor, quæ se in PORAITARVM primò, deinde KOBIELSCIORVM amplissimos diffudit in palmites, longè nobilior Capitolinâ illâ quercu,

* *Origo Illustrissima PORAITARUM Domûs ex VRSINIS.*
* *PORAITÆ Palatini, Castellani.*

cu, in qua gentium trophæa appendebat Roma, fuit VRSINVS ROSA inclytissima Romanorum propago Consulum, qui circa sæculum ab orbe redempto prope septimum veniens in Bohemiam, ad Albim fluvium plantam posuit; ut hoc ipso signaret ad maximos honores fore candidatos, qui de se nascerentur, quamvis & ipse meridianis dignitatum præfulsit titulis, quot Filios & Nepotes, tot primæ magnitudinis astra numerando. Plaude tanto Sole tantis sideribus corusca Bohemia, habent aliæ gentes & Regna cur Tibi tantos invideant splendores. Et certè perstrinxit Miecislai Principis Poloniæ oculos hujus Genesis claritas, involavit sensum magna Nominis fragrantia, necessum proinde fuit, ut dum BOLESLAI Regis Bohemiæ Filiam DĄBROWKAM Sponsore subarrharet annulo, etiam de hoc Sangvinis Erythro gemmam derivaret PORAIVM de VRSINIS DIVI ADALBERTI. ARCHIEPISCOPI Fratrem, ad Magnum suæ Coronæ decus & ornamentum. Huic plantæ (PORAIO inquam de VRSINIS) Vestrum vigorem debetis PORAITÆ, ab hac radice inclytæ stirpis processistis. Nec postrema statim PORAITÆ cæperunt occupare solia, * primus GAVDENTIVS Archiepiscopus Gnesnensis BOLESLAO CHABRI oblatum ab OTTHONE

 Impe-

* Gaudentius *PORAIUS primus Coronator.*

Imperatore in capite posuit diadema, Regumq; Coronatores alij ab eo intitulari habent in honore. Habes procertò & Tu primò Coronate BOLESLAE, unde pro radiante in vertice auro cor offeras PORAITIS. Minimè id præstare renuit, majoribus ab hinc eos prosecutus favoribus, non tantùm superstites, sed & vitâ functos, magno argenti pretio D. ADALBERTI Corpus, illorum Consangvinei de manu Barbarorum redimendo.

* Sed ne PORAITARVM Stirps à primis post paradisum terræ Incolis, quasi interrupta generationis serie, tot alijs extinctis perpetuasse videretur sæculorum ad invidiam, placuit, auream regni LESCONE Nigro tenente virgam, hanc plantam in alios vocabulorum Surculos effrondescere. VIELISLAVS etenim PORAIVS circa Annum 1282. dignæ se Parente Soboli CIESLAO & DOBIESLAO partitus patrimonium; primo quidem Bona in *in Michałow* ac *Buženin*, secundo in *Kurozwęki* & *Kobiele*, occasionem præbuit, ut tandem ab illis Cognomina sortirenter. * An: deinde supra millesimum trecentesimo duodecimo, memoratus DOBIESLAVS Heres in *Kurozwęki* & *Kobiele* Filio suo primogenito *VENCESLAO* naturali jure contulit sortem *in Kobiele*, qui primus vulgo dici cæperat KOBIELSKI. Et sic à Bonis *Kurozwęki* *KUROZWĘCCII*, à Bonis *Michałow* *MICHAŁOWSCII*, à Bonis *Kobiele* *KOBIELSCII* PORAITÆ sunt

* *Illustrissima* KOBIELSCIORUM *Domus ex* PORAITIS

* WENCESLAUS PORAIUS *primus nuncupatus* KOBIELSKI.

ſunt Vocati, ex quibus etiam PSTROKONSCII originem ad poſteros traduxerunt. Tam florentiſsima ex VRSINIS in PORAIOS ex PORAITIS in KOBIELSCIOS derivata cum Sangvine Nomina, nunc Panegyrico cultu veniunt celebranda. Aſt quæ tam ſublimis Oratorum gradatio, ut ad hæc pertingat? infra KOBIELSCIORVM ſerpit gloriam, quidquid ſummum in Tulliana ſvada reputatur. * Primus ille V E N C E S L A V S à Bonis *Kobiele KOBIELSKI* nuncupatus, quantæ Vir fuerat in æſtimatione amplitudinis, ex *ŁOKIETKO VLADISLAO* Rege facilè menſuram capere, qui eum non modò Supremum Regni voluit habere Cancellarium, ſed & Maximorum Reipublicæ negotiorum Atlantem. Advertit nimirum in eo intaminatum ſuæ majeſtatis amorem, boni publici zelum, Sacroſanctam fidelitatem, oris divinam planè facundiam & illas dotes in uno concentratas, quæ per omnes diſperſæ, plurimùm in ſingulis ſuſpiciebantur, in eo velut in ſpeculo renidentes, adorabâtur. Prædicatur ab alijs Heròúm Cor, Nobilitatis decus, rebus in agendis dexteritatis prodigium, Conſiliorum promptuarium, conveniebat ut ab ipſo Coronato Principe ſuæ mentis diceretur Interpres, Os & oraculum. * Non abſimilis à Nobiliſsima arbore fructus, à fonte rivus, à ſole radius, à tanto Progenitore proceſsit Filius IARO-

D SLA-

* *Regni Cancellarius* * *Iaroslaus Kobielſki Heros dexterrimus*

SLAVS KOBIELSKI ſub CASIMIRO Magno contra Ruſsos Heros invictus, ad cujus terrorem Nominis ſatis erat hoſtibus, illum veniſſe, & protinus victos eſſe: nec dum vaginâ nudavit gladium, heroica in adverſas phalanges, ſtrinxit dexterâ, & jam metu exanimata in fugam vertebantur Caſtra, non aliter, quam ſi Iupiter in rebelles Gigantes fulmine belli detonaſſet. Sentiunt adhuc ejusmodi Harpyæ iſtius Sarmatici Herculis vim & robur, quibus toties repullulantia in perniciem Patriæ bellatore chalybe attrivit capita, & face ignis Martialis ad perpetuum doloris ſenſum aduſsit. * Quare & promeruit, ut ab eodem Lechici Moderatore ſceptri, à Bellonæ æſtu ad Senatorij Honoris refrigerium, â lorica ad Purpuram, à cruento Gradivi ſolo ad Caſtellanatûs Premislienſis ſolum peteretur. Dignus inter purpurata Numina arâ honoris eminere, qui pro integritate Regni propriam vitam & incolumitatem victimare non reformidavit. * Quod ſi ſuper glorioſiſsimè geſta IANVSSII KOBIELSKI Halicienſis Capitanei, in memoriam translata ſæculorum ſe reflectit pagina, ſatis arctam ſe eſſe deplorat; etſi in centena elogiorum folia protendatur. Quidquid forenſium cauſarum Arbiter & Iudex decidit, nullus apud ſe non probavit; ſcelera alias non ſceleſtos, reatus non reos tollere, ſemper habens

bens

* *Caſtellanus Premislienſis.* * *Ianuſſius Kobielſki Halicienſis Capitaneus.*

bens in intento. Imo plures elegiſſent ab eo ad mortem condemnari; quam ab alijs vitâ ſibi donatâ judicari. Tribunalitia ipſius ſedes ſtallum fuit æquitatis & juſtitiæ; hanc ille quondam ad cælos profugam ſuæ judiciariæ Curiæ perpetuam fecit inquilinam. * Ad LVDOVICVM REGEM HVNGARorũ in negotijs Reipublicæ legatione functus, quanto verborum delectu, ſententiarum gravitate peroravit; quanta commiſsum ſibi opus activitate confecit; quàm feliciſsimo præſtolantia ſingulorum deſideria redux coronavit eventu; teſtis * Caſtellana Lublinenſis trabea; qua gemmeos illius ſudores, munifica in optimè meritos majeſtas abſterſit. Et expedijt altioribus etiam ſuæ aſſertorem tranquillitatis, imo primis in Regno ſublimari curulibus; niſi ipſe gradatim ad hæc dignitatum culmina procedere elegiſſet; magnum imitatus luminare, quod non priùs in ſummo ſphæræ reſplendet gradu; quam per decliviores, ſemper tamen æquè ſerenum, eluctetur. * Venit deinde prociduo ſvadæ Venerandus obſequio IOANNES KOBIELSKI Cracovienſis Succamerarius, Vir ſuo ævo florentiſsimus, ſui Palatinatûs amor & delicium; qui congregatæ ád celebranda comitiola Nobilitati quoties præſedit; toties ſine colliſione animorum, diverſitate opinionum, ſine confuſo in varias partes verborum

 ſono

* *Ad* LUDOVICUM *Regem Legatus.* * *Caſtellanus Lublinenſis.*
* IOANNES KOBIELSKI *Succamerarius Cracovienſis.*

ſono, cum æſtimatione Regnatoris throni, cum plauſu Ordinum, cum appretiatione ſui diſtrictûs fauſtiſsimè ſunt concluſa. * Præter hæc, aliaq; quàm plurima rectegeſta, reſonat hucuſq; dulce oris illius eloquium ad ſtrepentes Danubij aquas, & inde proſiliens non modo excelſa Carpathicorum montium transcendit juga; ſed & in univerſum quadrifariam diviſa ſvadæ illius fama, totum complet Orbem; quando ad Sandeciam poſt fata CASIMIRI, LVDOVICVM Hungariæ Regem. ſimul & Lechici Rectorem Sceptri ſalutavit. Haberent quid ex illo eloquentiæ fonte omnes haurirent Oratores; quem ipſe pro gloria gentis, pro honore majeſtatis, pro æſtimatione Virorum ſuæ Patriæ, pro ſui nominis perennante gloria profudit. Vt vel hinc ſuccincta Pannonum diſceret natio ex uno. omnes Polonos, non modo in Sago hoſtes, ſed & in Toga animos victrice facundia triumphare, * Et ne commune omnibus, qui naſcuntur ſolvendo mortalitatis debitum, mori videretur, claregeſtis aliàs immortalis, reliquit Patriæ ad ſolatium, Regno ad tutelam, majeſtati ad defenſionem, Exercitui ad robur, IACVSSIVM KOBIELSKI Bonorum plurimorum Heredem in quo viveret nullis ſæculorum decurſibus tumulandus. Reſpondit optimé Paternis votis ad maxima nata indoles; ampliſsimas poſ-

ſeſsiones

* *LUDOVICUM REGEM Salutat.*

* *Iacuſſius. Kobielſki plurimorum bonorum heres.*

ſeſsiones non ineffrenem volupiæ luxum, ſed in Reipublicæ commoda, Templorum & Altarium ornatum, inopum ſublevationem, eo ipſo magis ampliando, non attenuando. Quis enim in Superos largus, in neceſsitates boni communis prodigus, in egenos liberalis extitit. ut non illico apertos in ſingulorum utilitates, cumularet theſauros? Humorem quem plantis & herbis ſubminiſtrat tellus ad virorem, non ſolum eisdem venuſta in omnium ſplendet oculis, verùm copioſioribus longè, deſuper irrigatur aquarum ſtillicidijs, * Explicuit ſe deinde hæc inclyta Domûs KOBIELSCIANÆ ROSA in ternionem foliorum, vel potius Filiorum CESLAVM videlicet Heredem in *Skąpę*, *Wola*, *K-etlin*, *Łagiewniki*; *DOBIESLAVM* in utrisq; KOBIELE, *Wola* R*oſzkowa*, *Zelaſkow*, *Przybradow*, *NICOLAVM* in *Turki*, *Starogrod*, *Mietlin*, *Krzeſzow*, *Bieſzcza*, *Płoſy*, *Kruſzopole*, Viros ut bonis fortunæ locupletiſsimos, ita animi dotibus inſigniſsimos. Verùm cum ſinguli encomia omnium, omnes pro meriti laudes ſingulorum, diſtinctim eorum Nomina veniunt in paginam celebranda. * CESLAVS itaq; optimè Antenatorum Suorum conſolatus eſt famam, dum honores, quos cum Sangvine à Majoribus in ſe derivatos accepit, maximos reddidit, ita vitæ ſuæ momenta diſponendo, ut quanto pro-

E vectior

* *Filios tres Heredes relinquit.* * Ceſlaus KOKIELSKI *&* *Frater ejus* DOBIESLAUS HEDVIGIS *Reginæ intimi Aulæ Proceres.*

vectior ætate, tanto procerior probitate super alios excelleret, inter intimos aulæ Proceres HEDVIGIS REGINÆ, non ſine invidia multorum primus adoratus. Quanta illius in perennes ætatum tractus æſtimatio, ei fuiſſe Regnatrici à Corde, cui & vitæ ſanctimonia ſceptrum in Cælis, & honoris regij excellentia thronum poſuit in terris. Nemo non facilè apud ſe concludit, debuiſſe pariter fuiſſe & dignitate, quàm adeptus dignisſimum, & morum probitate, animi candore in Superos & Supremam Regni iſtius poteſtatem, æſtimatisſimum, intaminatisſimum. Dextrum hic, ſiniſtrum alter DOBIESLAVS uterq; in gratias & favores Regios apertum ſtipavit latus, quaſi nunquam ſecurior & firmior ſtare poſſet Majeſtas, niſi his duobus innixa fulcris, ab utroq; latere teneretur. Verè Regia ſolis, an regnatoris ſolij ſublimibus alta columnis, eminuit. Et licet Præduce DOBIESLAO KVROZWECCIO CASTELLANO CRACOVIENSI PATRVO SVO, Principali Senatûs Anteambulone ad ejusmodi culmen proceſſerunt, priùs tamen meritorum planarunt & ſtraverunt viam; quid enim officit aliorum commendatione ad alta eniti, cum totius Orbis ſenſu promulgetur, quod virtus promotore carens, non ſurgat in altum. Æſtimavit, gratias

egit

egit Reginarum prudentiſsima pro addictis ſuæ majeſtati Epheſtionibus, at quos lateri admovit, priùs integerrimo corde, ipſa amorem conciliante virtute. adamavit. Optimè & Tuo imperio, & Tuæ ultimæ voluntati conſuluiſti Regnatrix! ex paucis delectos ad Tui aſsiſtentiam throni KOBIELSCIOS eligendo. Pietas illorum in ſuperos, fidelitas in Regna & Reges, nemini unquam palmam ceſsit. * Nec NICOLAVS in Regum favore & affectu extitit non æſtimatus, in Aula VLADISLAI IAGIELLONIS Magnus Miniſter, aliter non contentus ſuum implere miniſterium, niſi & conſilia contra hoſtes Patriæ miniſtraret, & dexterrima manu cum IOANNE OLESNICCIO contra Crucigeros decertaret. * Quas ex profligata hoſtium acie legit laureas, his Iagiellonicum manipulũ cum plauſu totius equeſtris ordinis redimivit. Tantis VLADISLaus belli ſucceſsibus per NICOLAVM delectatus, quem in acie triumphatorem ſuſpexit, etiam cum ZIEMOVITIADE Epiſcopo Plocenſi, Victorem animorum deſtinavit; ut VITOLDVM ad pacis fædera inclinarent. Et absq; dubio ſenſit iſtius Gallicani Herculis aureas oris catenas VITOLDVS ſuo cordi injectas, dum porrectam in perpetuæ tranquillitatis ſignum extendit manum, quam alias enſi ſtrin-

 gendo

* Nicolaus *KOBIELSKI Magnus Miniſter.* * *Crucigeros profligat.* * *Ad Vitoldum Legatus.*

gendo in cædes populorum aptavit. Ejusmodi gloriosissimè functus Legationis Officio ab *HEDVIGE REGINA* fatis cedente cum *PETRO* *Episcopo* & *JOANNE* TENCZYNIO ultimæ voluntatis executor Deputarus, quàm probè omnia executus, quàm fortissimè cum ZBIGNEO OLESNICCIO penes latus Regium ad GRVNDEVALDVM conflixit, Bełzensis Castellanatûs purpura dat evidens testimonium, quàm à Rege non jam murice, sed proprio meritorum colore tinctam superinduit. * IACOBVM tandem ex NICOLAI Fratre Nepotem verè Filium tonitrui Othomanica senserunt castra, cataphractæ Crucigerorum extimuerunt cohortes Iovem fulminantem. * Sub CASIMIRO III. Rege, Legationis Ratisbonensis ad FRIDERICVM CÆSAREM in negotio cum Crucigeris Secretarius, vocalem se nominis æstimatione, non modo per Poloniæ Regnũ, sed & per totius imperij vastitatem effecit, illa activitate, illo zelo, illa animi sapientia commissum opus exantlando, quam Cæsarea majestas optimè suspexit, & Regni ordines semper venerati. Sub Avita illius ROSA fidelissimè latuit, omnis rerum compositarum tractatus, donec in effectu ad solatium prodiret singulorum. * Tandem dum DANIELEM KOBIELSKI Iudicem Terrestrem

*. *Castellanus Bełzensis.* * Jacobus KOBIELSKI. * *Ad Fridericum Cæsarem Legatus.* * Daniel KOBIELSKI *Judex Terrestris Buscensis.*

restrem Buscensem SIGISMVMDI III. Consiliarium à corde mente reminiscimur, plus in illo sese exhibent peculiari cultu adoranda, quàm quibusvis oratoriæ svadæ pigmentis adornanda. Terrestres illius causas, quas sapientissimo probavit & decidit judicio, cœlum & solum pro ratis semper habuit, nemo non contentus ab ejus judiciaria sententia recessit, sola injustitia quæ palmam æquitati præripere exambijt mæstum induta habitum semper recesit. Lites contentiosas ita exporrecta aure ab utraq; parte audijt, ut à medio, in quo omnis consistit virtus ad extrema nunquam deflecteret, tutissimo æquitatis procedens tramite, nec impotentiores à potentioribus opprimi passus, nec hos ubi justitiæ intervenit causa sine debito jure abscedere permisit, omnium jurgia ita decumano rationis componens judicio, ut singuli in ejus sententiam jurantes audirentur. Porrò in regni negotijs quoties difficultatum occurrebat nodus resolvendus, hunc ille majestati ad placitum, Reipublicæ ad utilitatem, externis ad prodigium dexterior Macedone, semper resolvit. Vnius, mentis sensus, omnium sentimenta absorpsit. Sed quoniam in firmamenti facie Astra recensere multòmagis illorum splendorem, quem in hæc vibrant sublunaria difficiliùs computare; nec nobis est in-

F inten-

intento ultra id, quod impoſsibile reputamus procedere, nam Tuos ANTISTES *ILLUSTRISSIME* velle in ordinem redigere Antenatos, illorumq; inocciduam ſuper hoc ſublunari & ſuperlunari Orbe luſtrare famam, planè inenarrabile. Sufficiat jam ad proximiores tuos accedere Prædeceſſores.

Primum hic vernantiſsimi re & Nomine FLORIANI PROAVI *TUI* celebranda occurrit claregeſtorum florentia. * Eſto ferreis illis temporibus, quibus aurea in compedes ire cogebatur pax, nullus Heròúm ſupereſſet,, qui animaret ad conflictum, præiret exemplo ad victoriam, duceret caſtra hoſtium in triumphum, ſolus ille ſufficeret pro cunctis. Senſit multoties iſtius magnanimi Heròís fulgorem gladij,toties ecclypſata Orientís Luna, doluit non ſemel attonſam, & vix non cum capite abſciſſam Leo Sveticus jubam, expeditæ Septemtrionis Aquilæ, tonitrua belli ſpontè ungvibus dimiſerunt, hoc Iove non regnatore ſceptro, ſed triumphatore chalybe ictum prohibente. Lateres alij in excelſas murorum ſtrues compoſitos obijciebant hoſtili impetuj, ut ſecuriùs permanerent, hic ut dilectam tutaret Poloniam pro muro latera oppoſuit, vitæ ſuæ prodigus, ut alij extra mortem eſſent immunes. Non ſic Hectore protegente intrepi-

da

* Florianus KOBIELSKI *Proavus Illuſtriſſimi* PRÆSULIS *Heros inſignis.*

da perstitit Troja, non sic Turno dimicante pacatum mansit Latium, non sic Annibale defendente secura quiescebat Carthago, non sic Scipione præliante vincebat Roma, ut Polonia Tanto illam Equite propugnante triumphabat. Taceret ptocul dubio suum Maro Æneam, non caneret Achillis certamina Homerus, Pompeium aut Iulium non celebraret Lucanus, Stiliconis non excurreret in elogia Claudianus, omnes in unius FLORIANI elogia conspirassent Panegyristæ, si illis Annorum lustris talia tantaq; egisset. * Adsternit deinde profundissimum *Avo Tuo* SAMVELI KOBIELSKI venerationem svada Oratoria *PRÆSUL MAXIME* meritò Caput ultra omnes erectura, si illum de congruo saltem, ut promeruit veneretur. Verè magnum illius Israëlitici populi re & nomine expressit Vatem, nihil vaticinatus Patriæ non faustissimum toties, quoties suis innixa consilijs remedia providit, ne prævisorum & prædictorum ab eo malorum mole premeretur. Imo ipse quæ primus certò eventura in nocumentum boni publici advertit, primus avertere laboravit. Non ita superstitiosa antiquitas Delphicis pendebat ab Oracûlis, ut Siradiensis Palatinatus à suo SAMVELE, in difficillimis facilè, in turbido tranquillè, in periculosis tutissimè, in prosperis ad caute-

 lam

* Samuel KOBIELSKI *Avus Illustrissimi.*

lam ſemper eruditus. Non fuit è numero illorum, quorum pulchra nomenclatio ſed turpis morum Actio, Honorios ſe jactant alij, cum nihil exhibeant honorandum; Conſtantij exambiunt promulgari alij, cum inconſtantes in ſingula mutentur momenta; pretioſi aliquid in Aurelij vocabulo obtrudunt alij, cum interim agant, nec plumbo æſtimanda. AVUM TUUM *PRÆSUL ILLUSTRISSIME*. ſufficiebat vidiſſe, & illico vivam SAMVELIS Ideam in ejus vultu adoraſſe. * Tribuni Siradienſis munus, & cum honore onus quam glorioſiſsimè exantlavit, quàm triumphaliter ſuæ militiæ præivit, ſequi veſtigia paucis conceſſum, aſſequi nullis. Tam ardua frontem non aſperavit occaſio, cui obviam Macedone animoſior non exiret, nihil tam fatale exoticus attentavit Mars, quod exhorreſceret, paratus ſuum diſcrimini obijcere caput, modo Corpus Patriæ illæſum ſervaretur. Non-plus Africano Scipione bellica ſigna explicante gaudebat Roma, quam exultabat gens Lechica, victrices in labaris Aquilas volitantes, hoc Tribuno, contemplata. Terribilis alias Moſcua toti Orbi, nullum expavit, ad ejus ſonum Nominis non niſi tremuit, utpote triumphali chalybe inflictas ab eo tot vicibus dolendo cicatrices quot vicibus inſanabile vulnus Patriæ attentabat.

* Nec ſeipſo tantùm, ſanitate ſuâ, vitâ, ſangvine,

* *Tribunus Siradienſis.* * *Proprio Sumptu fovet & regit militũ cohortẽ.*

guine, contentus protegere libertatem, etiam fortunæ non pepercit, proprijs ſumptibus fovit & rexit militum cohortem, cujus præſidio tuta ab hoſte maneret, hoc facto palam profeſſus, plus ſe commodum Boni-publici quàm privatum æſtimaſſe. * Tempore civilis belli ſub IOANNE CASIMIRO in Rege totum ſervaturus regnum, pectus telo opponere non dubitavit, acerrimus majeſtatis defenſor ad *Matwy* jaculo ſaucius eſſe maluit, ut proprio vulnere medelam ferret Regnatori. * Quanta pollebat ſapientiæ excellentiâ, judicij gravitate, æquitatis zelo & amore, omnia ſingulorum in unum conſpirata probant vota, quando ad decidendas Interregno durante cauſas Siradienſis Tribunalis Mareſchalcus eſt Electus. Profectò refloruit in manu ejus Mareſchalcalis Scipio, novos juſtitiæ fructus omnibus ad guſtum proferendo. * Pro corona tandem & Coronide ANTENATORUM TUORUM, qui per ROMANAS Summorum PONTIFICUM Sedes, Cardinalium curules, Primatum Stalla, Præſulum Cathedras, Palatinorum & Caſtellanorum ſolia, publicasq; Regnorum & Miniſteriorum functiones eminuerunt, Eccleſiæ ad decus Regnis ad præſidium, Patriæ ad tutelam & robur, ſibi ad perennem gloriam venit peculiari adorandus Panegyri NICOLAVS KOBIELSKI Pa-

G rens

* *Ad Matwy jaculo ſaucius.* * *Tribunalis vulgo Kaptur Mareſchal:*
* Nicolaus *KOBIELSKI Parens Illuſtriſſimi Antiſtitis.*

rens Tuus *PRÆSUL ILLUSTRISSIME* Virorum in Palatinatu Siradiensi apex & compendium, consiliorum augustale, absoluta Virtutis norma, quem etsi undequaq; non cingerent denso agmine castra meritorum, hoc unicum sufficeret illi pro summa gloriæ, quod Te talem genuerit Filium, qualem retroacta diu suspirabant, & exspectabant sæcula, nec habere meruerunt nisi præsentia, Facile quisq; apud se inferre potest consequentiam, quàm deliciosa Arbor esse debuit, quæ tam svavem Majestati, Senatui, Clero & Populo fructum germinavit. * Venatoris Siradiensis functus Officio, illas inter analecta satagebat proponere feras, quas è triumphalium sylva laurorum profugas in Martiales compulit casses, plumbea glande sauciatas an potiùs satiatas Regni mensæ optimè novit arridere. * Nuncij ad generalia in Regno Comitia aliquoties sublimatus charactere, in publica illa Senatûs facie, quo splendore oris radiaverit, æquè multis videre fuit, ac invidere. Pleni sunt sententiarum codices, quas profudit, quodsi publicum lucis non prodeunt sub aspectum, privatus tantæ eruditionis vetat amor, ut habeant in promptu, qui expeditiores fuerunt, ut notarent, tradantq; secuturis velut gemmas. * Magno plurimi habent in honore, si vel semel ad trutinan-

das

** Venator Siradiensis. * Ad Comitia Regni Nuncius. * Ad Tribunal pluries Judex Deputatus.*

das in Tribunalibus causas Iudices deputentur, Regisq; absolutâ fungantur potestate, Progenitori Tuo hereditarius quasi extitit iste honor, nimirum eo ipsum corde Tribunalitia complexa Astræa, quo optimos sui Amatores assveverat complecti. Tritam aliquoties ad Petricoviensem Curiam effecit viam magnus Æquitatis Arbiter & Iudex, reliquitq; post se sequenda vestigia, non tamen facile eo plausu, quo illi solenne fuerat assequenda. Mareschalcali assidens lateri; nunquam aliò suæ mentis direxit sensum, nisi quò recta judicij statera inclinavit, in se Iudice Solem exprimere volens, æquali omnes causas intuebatur aspectu, ita solabatur innocentes, ut nec nocentes ultra modum desperarent. Felicior nihilominus apud eum nulla causa fuit, quam infelicium & miserorum, pro illis perorabat disertiùs, qui nullum habuerunt Patronum. Deniq; ut compendio res absolvatur ingentibus nonnisi fastis & voluminibus complenda darent Boni Superi; Omnes illi similes in Republica Virosq;, in rerum experientia versatos, prudentiâ graves, pietate Sanctos, zelo justitiæ incorruptos, fortitudine invictos, consilijs maturos, & procul dubio aurea quondam sæcula extra Poloniam in Italia non essent inquirenda.

Aliquantulum digressa ad Tuos Antena-

tos Panegyris iterum prono cervicis flexu ad Te regreditur *PRÆSUL ILLUSTRISSIME* veniam enixè postulatura, si tam Magnorum immortalem Nominum gloriam, non jam illustravit, quam potiùs obscurvavit. Novimus enim non tantum ad Zeuxis setam, aut Apellis penicillum, (id est celeberrimorum in arte pictoria Magistrorum colores) splendere imagines, etiam ad insertas rudioris artis umbras magìs prominent. Vasta cælorum sphæra æquè recto dignatur oculo, jucundè modulantes philomelas, ac stridulum quid canentes cicadas. Et hæc laudum gutta Oratorio excussa calamo, licet nullam proportionem habere videatur, cum Tuo Sangvinis Archipelago, pro aliquo tamen, non pro nihilo reputanda. Nunc Te ipsum solum habemus nostræ intentionis pro scopo, Te mente recolemus, Tuæ Stemmaticæ odore ROSÆ recreabimur, Tua vitæ exordia, progressus Annorum, ingentes Animi qualitates, fortunam, honores de propinquo adorabimus. Liceat igitur ab ortu meridiem contemplari, à flore juventæ maturum ætatis fructum demonstrare. * Nihil vile Lucina Tuis stravit in cunabulis, primo vitæ momento quo publicam aspexisti lucem, statim Sacrosancto fortuna se Tibi obstrinxit juramento, tributarius in adorationem prosilijt honor, cum

fascijs

* *Tenera ætas Illustrissimi PRÆSULIS.*

fascijs fasces obtulit, purpuras cum violis suo quondam ANTISTITI & SENATORI deposuit. Nec-dum tremulos formabas gressus, & jam videbaris animo circuire Regna & Provincias, lustrare imperia, qualiter grandium expers negotiorum prodesses Patriæ, cælos ipsos pia mente notabaris ingredi fixiùs considerans, quomodo Divorum vivam in Te exprimeres sanctimoniam, consummataq; perfectionis norma Clero & Populo extitisses. Cùm lacte ad maximas in Regno dignitates omnium judicio censebaris Candidatus, Alios crepundia & ingestæ manibus nuces oblectabant, Te de aurea torque pendulæ Cruces exhilarabant, infantilibus expressas pupillis lachrymas nihil faciliùs sistere potuit, quam objectus libellus, humanarum Divinarumq; Legum characteribus descriptus. Nimirùm aurora grande prodit oriturum luminare, quo totus serenetur universus, infantilis adhuc ætas Tua, signabat facilè, quantùm Ecclesiæ, quantùm regno in provectiori annorum tractu eras profuturus. Prima vitæ linea, index est ulterius consummandæ. Crescebas deinde annis, sed non sine augmento pietatis, modestiæ, verecundiæ, magnanimitatis; neminem Tibi æqualem, nisi, Te ipsum agnoscens. Si aliquando provocabaris à Coætaneis in lusus, augusta mente cum Macedone reponebas,

bas, libenter te id facturum, si decertaturus Tecum Statores sis habiturus. Dulciarijs & alijs appetitus oblectamentis mulcetur hæc ætas ad flectenda in preces genua, ad devotè jungendas manus, Tibi maximis fuit in delicijs ille cibus, quo mens reficitur non corpus. Adire sanctuaria prosterni ante Aras supplices in cælum attollere palmas summa voluptas, discolos moribus, exosos pietatem, obnoxios levitati videre maxima animi Tui tortura. Talia tantaq; attentiùs in Te intuiti Parentes. Consangvinei, Vicini, domestici & advenæ, illa de Te formabant omina, quæ nunc patent singulis ad oculum in ipsa rei veritate. Alij suæ Genesis grande decus, alij Patriæ columen, alij Ecclesiæ fulcrum, alij Regum Cor, Senatûs frontem, Pontificiæ ornamentum Mitræ, pro suo quisq; arbitrio, omnes tamen verissima de Te autumabant. Scilicet facilè collegerunt, ex primis vitæ Tuæ lineamentis, quam absolutissima probitatis, æstimationis, honoris esse debueras imago. Percrebuit fama toto Poloniæ Regno de tanta KOBIELSCIANÆ Domûs indole, remotas etiam sese diffudit forsitan in oras purpurascentis ROSÆ fragrantia, quantam protinus de Te Scholis, Vniversitatibus movisti litem, quævis harum tam nobili flore exambiebat suum eruditionis ornare viretum,

sin-

singulæ in obsequium promptissima, ferebant vota, invitabant ad majestuosa sapientiæ augustalia, parabant Cathedras, proportionatos tali Discipulo Professores & Magistros ostentabant. Mater illa Scholarum, tot Regum privilegijs dotata, tot tantorumq; Procerum, Antistitum, Principum educatione, famosa Cracoviensis Academia, pansis Te suum in gremium invitabat ulnis, dulce lac pietatis & doctrinæ sponte offerens, modo Te Nobilissima prole, tot inter Regni Filios gaudere meruisset. E! diametro Varsavienses Athenæ, vocem interturbabant postulantes, ob oculos jam majestatis viciniam, jam Purpuratorum frequentiam, jam diversis è nationibus confluentem primæ notitiæ populum, jā palatiorum multitudinem & nitorem, jam æquè pares ad Societatem, æmulationem, amorem, cultum, remonstrando soboles, omnem activitatem, industriam in Te formando fide juratæ, obtestatæ; hæ necdum sua prompsêre postulata, en invidiæ percitæ æstu Zamoscia, Leopolis cæteræq; insigniores Metropoles docta obtrudebant Lycea, ex quibus eloquentiâ Divinus Plato, Scientiâ Aristoteles, DEI divinarumq; cognitione rerum alter prodires Augustinus. Solæ nonnisi Petricovienses Scholæ Piæ ad Tuæ ROSÆ purpuram, verecundiæ indutæ habitum, sua amplissima in

H2 Te

* Petricoviæ Scholas Pias frequentavit.

Te expromere desideria non sunt ausæ. Sed ut Numinibus ad hæc terrarum ima se demittere solenne, ita & Tuo Augusto Nomini in angustiore scribi catalogo fuit plausibile. Quibus Te gestientis animi indicijs Scholastica Siradiensis Iuventutis castra salutarûnt suum Antesignanum & Ducem, quibus illa dies ex Tuo ad Scholas Pias adventu resonuit triumphis, aggratulationibus, plausibus, quo Te cultu, quo amore suscepère Classium Præceptores, enarrant, qui sunt superstites, qui illi felicitati præsentes adesse non meruerunt; ex svavi odore Gentilitiæ Tuæ ROSÆ colligunt, cujus impresso Scholis odore hactenus ineffabiliter recreantur. Accessisti tenellis illius districtûs membris caput principale, Capitibus corona, coronæ Iuvenum pretiosissima gemma & clenodium. Ex illo ipso tempore aliter æstimari cæpère Petricovienses Scholæ Piæ, postquam ejusmodi sangvinis thesauro sunt potitæ. Quid enim ad conciliandum pretium & æstimationem Scholis illis in Te deesse potuit? nascentis cunabula spectamus? maximis Antenatorum strata purpuris conspicimus; morum exemplaritatem intuemur? Ideam Te omnis pietatis modestiæ, affabilitatis, submissionis etiam erga minimos, proni adoramus, capacitatem ad quævis in genere & specie studia literarum

explo-

exploramus? immenſo ſimilem Oceano miramur, in quam etſi tot liberalium artium & Scientiarum involarunt flumina, nec dum tamen expletur. Profectò torvo ſpreviſſet oculo non docilem Achilles Chironem, protervum Arſenius refugeret Theodoſium, Ariſtoteles longe fortunatior extitiſſet, ſi in Te majorem Magno Alexandro Diſcipulum illis temporibus incidiſſet. At noſtræ gloriæ id Boni Dij reſervarunt privilegium, quod Te hoc ſæculo naſcendum, nunquam violando decreto ſtatuerunt, ut Petricovienſes Scholæ Piæ, Provincia Polona, imo tota Religio haberet, unde de Te in ſui appretiatione exultarent, ſubq; Tua ampliſsima protectionis dextera ſecurè permanerent. Sed ut has præſtantiſsimas animi Tui dotes etiam cum exotico partires orbe, indeq; caput Orbis Roma facilè intelligeret ex uno, quantis Lechicum clima abundet ingenijs, Philoſophicis Te, deinde Theologicis conſummandum obtuliſti ſpeculationibus, perfectam ut octo intelligentiæ vaſtitatem Tarpeijs inferendo collibus, ipſi Vaticano primò mirandam, deinde honorandam capacitatem remonſtrando. Diu hæc immota Eccleſiæ Petra, humanæ pariterq; Divinæ Sapientiæ Magiſtra (Roma inquam) fixis ſubſtitit cogitationibus, quos ad ſoliditatem doctrinæ

 Pro-

* *Romæ Philoſophiam & Theologiam audit.*

Professores destinaret, quibus Te imbuendum credere debuisset Scientiarum Doctoribus, cui pro coronide gloriæ commendaret Academiæ. Introivisti tandem omni eruditione excultorum Pantheon Numinum ipse Numen, & brevi spatio supra Platones Aristoteles, supra Doctores Theologiæ redivivus Aquinas, Discipulus supra Magistros, suspici ab omnibus, æstimari à singulis meruisti; Nil in Eurippo fuit tam altum, quod non attingeres, tam tortuosum, quod non assequereris; abyssus Thomæ, quæ alias multorum in vertiginem egit capita, Tuo nonnisi lustranda intelligentiæ oculo capax extitit. De rerum naturis profundè, de supernaturalibus altissimè disputasti. Alijs spinæ Logicæ in punctures, Tuo Capiti coronando in Rosea serta cesserunt, De cœlo elementis, & quæ his continentur ita altissima per causas à priori processisti ratione ac si præsens fuisses, quando hanc universi molem Increata disponebat Sapientia, ex abysso nihili producebat Omnipotentia. De inscrutabili Sss. Trinitatis Mysterio, super quo concipiendo Augustini mens hærebat, sine errore; de Unione Hypostatica appretiativè, de efficacia gratiæ inconcussè, de Divinis Decretis Sanctè, de Visione Beatifica, ac si in via fuisses comprehensor clarissimè omnia percepisti, deniq; nullum Theologiæ obvium

obvium habuisti tractatum, quem facillimè non tractares, Iam tantæ Tuæ Sapientiæ Doctorales in tænias sinuabuntur laurus, parabantur annuli, formabantur torques, nisi factum de Te jurgium Viros inter scientificos, Sedis Apostolicæ diremisset Authoritas. Iudicavit nimirum summus mundi Orthodoxi Arbiter pulchriùs hoc sub Infula radiaturum Caput, quam si Doctoralibus laureis cingeretur. Et maximæ sint ipsi gratiæ, quod Tibi ad hanc Præsuleam dignitatem, quâ excellis, proportionatum stravit gradum, illi Te Canonicorum associando Cætui, illi Prælatorum incorporando Collegio, ex quo ceu Antistitum Seminario, Pontifices aureo suffulti pedo, ad Sacri Senatûs ornamentum, ad moderandas in Regno Diœceses invitantur. Erige Cracoviensis Vavelle Caput, desideratissimum Hospitem deciduâ veneraturus cervice, quem Tibi summa in orbe potestas reddit omni honore prosequendum. Minimè erravit, quem Divinum assistrice gratiâ inspirat pneuma, ad quem totius Ecclesiæ sentimenta aut approbanda, aut corrigenda devolvuntur, dum Canonicali Stallo dignissimum KOBIELSCIVM judicavit. * Non hic metam posuit Sedis Vaticanæ erga Te favor, etiam Rectorem Nationis Polonæ speciali designat privilegio, ut quotquot in Regno

* *Deinde Nationis Polonæ Rector.*

haberes Patriotas, majorem Te illis non vana de Te opinione reputares. Filij illi, Tu Pater, grex illi Tu Paſtor, moderandi illi, Tu moderator es Præfectus. Convenientiſsimè decuit, ut qui Reginam florum præfers in Stemmate ROSAM ſupra Gentem Lechicam regimine emineres. Cauſas ſingularis propenſionis quam erga Te Succeſſor Divi Petri exhibuit, curioſiore indagine non luſtramus, quia ſole clariores in Tua Natalium dignitate, exemplariſsimâ converſatione, ſapientiâ, palam Romæ ante oculos effulſerunt. Amant pleriq; magno fortunæ impendio ſacra Apoſtolorum inviſere limina, non ut ſanctiores inde redeant, ſed ut in illo Orbis compendio faciliùs videant, quid rerum agatur in univerſis Regnorum diſterminijs, qui mores, quæ veſtium pompa, qui venientium & abſcendentium fluxus & refluxus, quæ palatia, turres, templa, quo ſitu & diſpoſitione hæc occidentalis quieſcit Vrbs, quibus in viridariorum amænitate, aquarum irrigatione platearum nitore abundet delicijs, indeq; materiam diſcursûs habeant prurientes audientium ſenſus onerare; à Tuo corde procul hic aberat bonæ intentionis Scopulus, appuliſti deſideriorum velis ad hoc totius mundi emporium, venerando Tiberim tranſcendiſti calcaneo, patentes Tuo adventui ingreſſus es

por-

portas, medius inter Sacras ſtetiſti Baſilicas, ut optimus animi, qualitatibus melior reverteretis, & quem omnes imitari debuerant, imitator ſingulorum in virtute, ſapientia, ſanctitate extitiſſes. Cunctorum in Te vertebantur oculi, nec ſatiari potuerunt, Tu cunctorum integerrimos videbas mores; ut in Te protinus invidendos exhiberes, vivum Te ſpeculum repræſentans, quod dum mediante luce recipit in ſe objecta, reddit illico. Verſabaris inter doctos quaſi doctrinæ indigus, cum eâ fueris pleniſsimus, viſitabas frequenter Sancta Sanctorum, procumbebas ſupplex ante aras, ſacra dulciter ſvaviabas lypſana, fundebas preces, indulgentiarum cumulabas theſauros, vitæ innocentiâ ditiſsimus, Immiſcebaris purpuratis Patribus lilijs candidiorem præferens animum, nihil amplius ſupererat, niſi ut eorum commendatione, quis quantusq; ſis ſummo innoteſceres Pontifici, quem ut vidit, diſertiſsimè perorantem audijt, illico protenſâ in benedictionem dexterâ honoravit, toto pectore adamavit, ſuæ gratiæ privilegijs auxit. * Incidit tandem Tibi in Animum *PRÆSUL ILLUSTRISSIME*, ut Te tot votis & ſuſpirijs præſtolantem viſeres Patriam, & ecce feliciſsimè venienti Primatialis inſigne poteſtatis offertur manibus, ante CELSISSIMUM *STANISLAUM* SZEMBEK Regni

K Pri-

* *Redux in Patriam Cruciferum Celſiſſimi Primatis agit.*

Primatem præferendum. Quantum majeſtatis & pompæ illi acceſſerit de Tua præſentia, illum videlicet præeuntem ſequendo, aurea Cruce refulgentem; quem ab ipſo Summo Præſule collati honores pulcherrimo comitabantur famulatu. In privato volupe illi fuerat dulci Tecum recreari colloquio, in publico Tecum apparere glorioſum. Sivè regnatorium accedebat thronum, ingrediebatur Senatum, ſivè veneranda adibat ſanctuaria, Te ſuo Præduce incedebat triumphaliter. Salutis hoc noſtræ trophæum, quod manibus ante Principem, Regni attollebas, prodromum fuit Præſulei Paſtoralis, quo nunc fulciris.

*. Majoribus Te deinde hic purpuratorum Princeps Patrum proſecutus eſt favoribus ut Filium, Cancellarij munus conferendo. Obſervavit nimirum in Te illam Oris gratiam illud eloquentiæ nectar, illam ad expediendа quævis negotia activitatem, in qua Tibi nullus palmam præripuit. Occurrebant Statûs & Diæceſum negotia? cunctorum Tibi arcana pandebantur, danda fuerant expectantibus reſponſa, Tu Os Primatis ſingula expromebas, Roſas non verba proferendo.

*. Inaudijt tandem de Tua in jure peritia, de notitia legum, de innato Tibi juſtitiæ amore Tribunalitia Themis & anhelis optabat ſuſpirijs libram æquitatis Tuo moderandam judicio

* *Deinde Cancellarium.* * *Tribunalis Regni Vice-præſidens.*

cio consignare, ut quid litigantes decerneres inter partes Sacrosanctum ab omnibus haberetur. Satisfecisti proinde plurimorum votis, & protractæ in dies expectationi, quando inter confluentes ex varijs terrarum partibus Iudices, Deputatos, Vice-Præsidens Tribunal accessisti. Expalluerunt ad Tui vultûs majestatem scelera, ultorem suis cervicibus impendere rata gladium, è contra pressas oculis lachrymas abstersit innocentia, quia suæ oppressionis Vindicem salutavit. Timore perculsi mentem abijciebant non bene sibi conscij, at reasumebant audaciæ vires in justis causarum processibus planè desperati. Esto fuerint qui respiciebant munera, Consangvinitatis retrahebantur amore, ne consonam æquo pronunciarent sententiam, Te nec ultro oblata etiam sine corruptione justitiæ munera allicere, multò magis emollire potuerunt, quin duriùs ageres cum perversis, nec quod privatus dictabat affectus, sed quod distributiva svadebat justitia, auscultabas. Vt timereris ab omnibus, neminem formidabas, ut à reis etiam amareris, despiciebas nullum, in hoc pretiosior omnibus, quod omnes pretium apud se habuerunt. *. Te Iudicum Vice-Præsidente & Causarum Arbitro, novus iterum extra Athenas Areopagus censebatur erectus. Sic ubi Te infractum in sustentado

K2 ju-

* *Episcopus Adrianopolitanus & Suffraganeus Cujaviensis & Pomeraniæ.*

justitiæ cælo Succollatorem probasti Alciden, Præsulei deinde Provincia honoris occurrit acceptāda. Hæsisti dubius intra Te aliquantulū, num sufficientissimos huic oneri portando suppositurus eras humeros, noveras enim optimè statum hunc, ut esse perfectissimum, ita non sine prudenti deliberatione amplectēdum. Pensasti Pontificiæ dignitatis excellentiam, sed & proportionatos eidem labores, fatigia, matura judicij lance ponderasti. Hinc Tibi Adrianopolitanam Roma offerebat Cathedram, illinc Celsissimi nunc Primatis Regni CHRISTOPHORI SZEMBEK pro tunc Antistitis Vladislaviensis & Pomeraniæ urgebant vota, ut suum ageres Suffraganeum, aliunde totius Diœcesis suum Pastorem fidelium suspirabant greges, tam arctas certantiū de Te affectuum actus in angustias, quid ageres? Cardinalitio aptum caput habendo bireto, primæ illud Submisisti Infulæ coronandum non aliter, quam ut Te formam gregis ex animo demonstrares. Quantis illico Te totum victimasti laboribus! Sacro ceromate ungendus confluebat Clerus, Tua cum omni facilitate singulis obviabat benevolentia; pabulo verbi Divini reficiendus stabat populus, nunquam iejunum, dimittebas, ne fortè in viâ salutis fatiscerent; plures fuerant, qui Tuæ cælestis doctrinæ capti illicio, rei domesticæ

&

& ſuorum obliti commodorum, horas etiam in dies & noctes protracturi, niſi Spiritûs promptitudinem infirma caro temperaret. Oderas nimirum illum dicendi & docendi modum, qui inflato buccarum faſtu intumeſcit hyperbolicis ſupra fidem laborat ſuperlationibus, inimicis ſimplici veritati abundat cōceptibus, ratus hæc omnia aures nonniſi prurientes mulcere, ſed non cor in amorem honeſti, horrorem vitiorum emollire. Alia Tua fuerat eloquentia, fundebas ab ore gemmas, ſed quæ animam non aures ornarent, modeſtè pravos redarguturus mores rem periphraſi involvebas, ſed ut efficacius cor influeret, Sacræ Scripturæ arcana reſerabas ſubtiliſsimè, ſed quæ rudiſsimus etiam intelligeret. Imo cum Doctore gentium Paulo omnibus omnia factus, ſciviſti pro qualitate Perſonarum coram doctis eruditè, coram ſimplicibus clariſsimè; coram Regibus Principibus & Dynaſtis majeſtuoſè, roſonare, non alio intento, quam ut cunctos cœlo lucrifaceres. Quid verò de Tua in Superos pietate, de generoſo luxûs contemptu, de pervio cuilibet ad Te acceſſu, de Orationum fervore, de ſolitudine paſtorali dicemus? ſilentio hæc & alia quam plurima, defixa in ſtuporem admiratione, loquemur, ne Tuæ injuriam modeſtiæ inferre videamur, qui non aliter, quam per deſpectum laudis humanæ vis eſſe glori-

 oſus,

oſus, adeoq; veriſsimè laudandus. Qui Te Divini officij penſum exſolventem, Sacroſancta ad altare myſteria tractantem, pijſsimo in genua flexu prolabentem, videre à Superis meruerunt, hactenus vivam ſanctitatis Ideam mente retinent, quâ ad Te imitandum ſingulis diebus excitentur. Circa templi nitorē, altarium ornatum, ſacrarij compoſitionem reliquaq; ad cultum Numinis pertinentia, nemo Te rigidorem Cenſorem non expertus. Pulchritudo videlicet optimè diſpoſitæ ad intra conſcientiæ foris etiā prorumpit, in amore honeſti reſplendeſcit. Felicem, Te Suffraganeo, Illuſtriſsimum Vladislavienſē pro tunc Præſulem, nunc Principem in Regno maximū, ſed & Te Succollatorē illo Atlante fortunatiſſimū, duo nimirū ad unius Diœceſis ſuſtentandam negotiorū molem ſuppoſuiſtis humeros, vitæ ſanctimoniâ, exēplaritate ad omnes, per omnia ſimillimi. Luxiſtis in illo cælo magna duo luminaria, virtutū ſplendore clariſsimi, & nemo in caligine & tenebris ſe ambulare deprehendit. Patres luminum, filios lucis effeciſtis, quotquot Veſtræ poteſtati ſubjectos habuiſtis. *Nunc patet ad oculum, quid Te Sereniſsimæ *IOSEPHÆ AVGVSTÆ* III. pijſsimæ Domûs Austriacæ Heroidi, maximæ liberæ gentis Dominæ & Reginæ inviſceravit affectui, ut Tibi ſuo Cancellario crederet mentis abdita, Te interprete, Te ſuo Ore to-

* *Sereniſſimæ Ioſephæ Reginæ Poloniæ Cancellarius.*

toties majestuosè loqueretur, quoties necessitas, ad ejus clementiæ thronū accedentibus, exigebat; quia Te talem pietate Antistitem, sapientia Præsulem advertit, qualem diu exambijt habere, donec in Te incidit. A corde itaq; Reginarum Serenissimæ visum est Superis, placuit Sedi Apostolicæ, Regum Maximo *AUGUSTO* III. in votis fuit, ut ad Frontem SENATûs, ad altiorem Cameneci sublimareris Cathedram, per gradus dignitatum ad Supremum in Regno honoris soliū processurus. * Quantis ille Tuus triumphalis ad Cathedralem basilicam ingressus resonuit plausibus, quantis totam Poloniam affecit solatijs! Verba in explicando deficiunt Oratorem. Te majestas suum columen, Te Cives purpurati suum Patrem, Te Clerus populusq; suum desideratissimū Pontificem gratulati. * Nec diu hæc Metropolis potuit continere Tuæ amplitudinē gloriæ, iterum Luceoriam novo comples splendore meritorum, post recessum unius primæ magnitudinis Astri, alterum maximum Oriens luminare, brevi in meridie honorum sine occasu vitæ effulsurus. * Ingredere ergo *PRÆSUL ILLUSTRISSIME* hoc necdum capax lucis Tuæ receptaculum, Te publica præcedunt vota, Te majestuosa Antenatorū stipant decora, Tuæ solēni pompæ paterno Maternoq; fæderata Sangvinis nexu, CELSISSIMA, ILLUSTRISSIMA, SZEMBEKIORVM, ZAŁVSCIORVM, TARNOVI-

** Episcopus Camenecensis. * Deinde Luceoriensis. * Colligatæ Domus.*

ORVM, MĘCINIORVM, PIENĄZKORVM, DĄBSCIORVM, WĘZYKORVM, OLSZEWSCIORVM, BISTRZONOWSCIORVM, DOBINSCIORVM, SZPINKOVIORVM, PRZIŁĘCCIORVM, MORSCIORVM, DĘBINSCIORVM, PRVSZKowſciorum, KROBANOWSCIORVM, WIZEMBERKORVM, IEDLINSCIORVM, KRESCIORVM, ŁACCIORVM, CHLEBOWSCIORVM, RADLICCIORVM, NIESZKOWSCIORVM, MASŁOWSCIORVM, ŁVBINSCIORVM, SZCZEPKOWSCIORVM, SIERAKOWSCIORVM, STAWSCIORVM, SZYPOWSCIORVM, TVRSCIORVM, PRZERĘBSCIORVM, DĘBOWSCIORVM, RISINSCIORVM. KAMOCCIORVM, WIEISCIORVM, RYCHŁOWSCIORVM, WASOWICCIORVM, SEDZIMIEROWSCIORVM, CZERNORVM, POLESCIORVM, aliaq; millena aſsiſtunt Nomina, nos exigua quidem, candore tamen erga Te plena, Pontificiæ plantæ Scholaſtica adſternimus folia Te in Tua Avita ROSA Purpuratum Patrem, Protectorem proni

A D O R A M U S.

JLLUSTRISSIME
EXCELLENTISSIME
&
REVERENDISSIME
DOMINE.

NOn partum ingenii, ſed amoris Pignus, pro votivo ligamine Tuo dedico Nomini & Honori, quo mea filiatio, cum innato erga Te pateat cultu. ARCHIPRÆSUL Jlluſtriſſime. Et quid aliud offerre debuit,

Tuæ beneficentiæ Alumnus, Tui favoris Lactentius, nisi Paternæ Tuæ pignora Gratiæ, id est, amorem in filiali pectore progenitum. Conveniebat tenerum in pignore animum, tenerrimo Tuo erga me affectui consecrare. Infans hic amor, quasi primò in cunis Tibi præsentatur, ut cōstet, vel ab ipsis fasciis, colligatam esse gratitudinis meæ obligationē, erga suum Gratianum JOANNEM. Palam hic est, quòd semper in recēti propensione, meus in Tuam Personam vigeat candor, nunquam veterascens, sed quasi hodie foret natus, ideoq; nunquā non tenerrimus. Nec miretur quispiam, quòd debitum obligationis MECÆNATI Gratiosissimo, non alio exsolvam ærario, præterquam amoris: hujus enim pre-

tio

tio nihil ditiùs dari poteſt. Vileſcunt univerſæ Orbis Gazæ, cùm unione amoris comparatæ. Quiſq; ad pondus devenire poteſt, quàm grandia mihi præſtes beneficia, quantiq; ego appretiem Tuas gratias mihi collatas, cùm pro eis rependam valorem, ſupra omnem cujuſq; pretii æſtimationem. Scias velim Jlluſtriſsime ARCHIPRÆSUL, quòd non oratorio conceptu, ſed affectûs pignore, Tui Nominis adorno Natalitia. Non enim in votis mihi eſt, orationem coram Te recitare, ſed magis profundiſſimam adorationem exhibere. Non tam laudare volo, Tua in me collata munera quàm amare. Hominum eſt, laudes quærere & extorquere, aſt Numina magis cultum & amorem exigunt. Igitur cùm &

Tu Dive Senator, ſis quoddam Numen Lechiæ, tali à me, benevolentiæ Tuæ Creatura, ritu debes celebrari. Proinde ad Pontificiam Tui Honoris aram, pro victima debiti cultûs, lito amoris Pignus, cum voto, ut nemo audiat, nemo ſurgat MAIOR Te JOANNE.

Ita precatur.

JLLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Cliens ac Nepos devinctiſſimus,

CHRISTOPHORUS SKARBEK,

Canonicus Kijovienſis.